prærupta audæcia abſunt, quam à deformi obſequio.

Sed prȩter hoc ingens bonum, & inſigne documentum, quod Tuæ humanitati acceptum refero, & quo me ſatis munitum ſentio, aduersùs tacitas moroſiorum ſuggillationes, quibus diſplicitura forte eſt mea diſputandi ratio, citra tamen vllam verborum acerbitatem; longe plura ac majora capto: nec me conſecuturum diffido noſtræ diſputationis ad Tuum ſubſelliũm prouocatione. Quamvis enim Tui Auguſtiſſimi nominis clientela eò mihi ſit ardentius expetenda, quo omnibus ex me præſidiis deficior; occultâ tamen neſcio qua æquitatis, quam propugno, cauſæ conſcientiâ, malim ad Te quaſi iudicem & teſtem appellare, quam in patrocinium aſciſcere, ſi defenſoris perſonam induere nequeas niſi iudicis & teſtis munere abdicato.

Accuſationum quæ in nos vrgentur hæc ſumma eſt: id primum inquiritur, an quam Familia & Schola noſtra ex ſuo Præceptore, ſe hauſiſſe gloriatur, doctrina, eius menti ac principiis conſentiat. Hâc vna controuerſiâ ſemel conſtitutâ, duæ emergunt grauiſſimæ, Te teſte, & iudice dirimendæ, de parte Dogmatica (nam de Ethica, an corruptis hominum affectibus nimiùm indulgeamus, nihil attinet iterum rem ad incudem reuocare:) id vnum modò agitur, an Scholæ noſtræ dogmata, tum vniuerſim, tum de libertate humana, & ſcientia diuina nominatim, heterodoxorum erroribus conſentiant, & Eccleſiaſticæ Traditioni aduerſentur. Sunt enim innumeri, qui hæc in nos mala importent, & Theologiæ,